

1798

Chronologia Symposii Platonis

Heinrich Ludwig Hartmann

[Let us know how access to this document benefits you.](#)

Follow this and additional works at: <http://repository.brynmawr.edu/digitizedbooks>

 Part of the [Classics Commons](#)

Custom Citation

Hartmann, Heinrich Ludwig. 1798. *Chronologia Symposii Platonis*. Lipsiae: Impressit Carolus Tauchnitz.

This paper is posted at Scholarship, Research, and Creative Work at Bryn Mawr College. <http://repository.brynmawr.edu/digitizedbooks/54>

For more information, please contact repository@brynmawr.edu.

888.125
Hart

CHRONOLOGIA
SYMPOSIUM PLATONIS

EXAMINI
IN LYCEO GVBENENSI

A. D. III. KAL. NOVEMB. MDCCCXCVIII

HABENDO

PRAEMISSA

A

M. HENRICO LVDOVICO HARTMANNO
CONRECTORE

LIPSIAE
IMPRESSIT CAROLVS TAVCHNITZ.

СЕРТИФИКАТ

№ 123456789

ИЗДАНО

В СООБЩЕНИИ

О СЛУЖБЕ

СЛУЖБЫ

СЛУЖБЫ

СЛУЖБЫ

СЛУЖБЫ

СЛУЖБЫ

СЛУЖБЫ

Q. B. V.

Quum cuiusuis libri lectio perspicuitatis non parum accipiat a certis temporis notis, quum tempore narratarum rerum incertiores ipsae fieri reperiantur obscurae: sane quam maxime est necessarium, ut in quouis scriptore diligenter de tempore quaeratur, quo vel ipse scripserit, vel, quae referat, acciderint. Iam si haec in uniuersum omni carent dubitatione, apparet etiam, quaestionem de tempore tum esse eo diligentius instituendam, quum plures lectorem premant difficultates, ita, ut, quo se vertat, nesciat, neque sine molestia se ipse expedire queat. Quum haec, quae iam ante plures annos animo volui meo, ratione non viderentur carere, putavi quoque iamdudum ¹⁾, non inutilem fore operam, quae in Platonis Symposio,

1) Nam quum adhuc Lipsiae degerem, et Beckii, cuius beneuolentiae et auctoritati omnis generis beneficia et ipsum munus meum debeo, Societati philologicae adscriptus essem, illa supra dicta animo interdum obuersabantur, adeo, ut illo iam tempore animus esset, data occasione, disquisitionem de Symposio Platonis scribere chronologicam.

ratione temporis, collocaretur, quum ille libellus hac quoque ratione non leues obiiciat difficultates, neque ipse disertis verbis notam contineat temporis, quo vel Plato eum composuerit, vel Apollodorus orationes conuiuiarum, e consilio auctoris, retulerit. Iam quamquam haec res ab interpretibus non plane est neglecta, tamen, quod equidem sciam, leuiter tantum tacta 2), et nondum vberius pertractata est. Quae quum ita sint, paulo copiosius ea de re agere constitui, et quamquam non ea ingenii subtilitate studiique diligentia, quae necessaria sit ad hanc rem omnem definiendam et constituendam, valere mihi videor, tamen, quantum fieri poterit, ita conabor sententiam proponere, vt certe non omni carere videatur probabilitate. Et primum quidem breuiter dicam, *de tempore conuiuii ab Agathone, (tragico illo 3), instituti*; deinde, partim

2) Conf. S. V. Wolf. *Einl.* p. 56.

3) Agatho a veteribus scriptoribus dicitur nunc comicus, nunc tragicus poëta. v. Perizon. ad Ael. V. H. 13, 4. At quum sub finem nostri dialogi c. 39, 3. Socrates dicatur Agathonem atque Aristophanem disputando eo redegisse, vt concedere cogentur, vnus eiusdemque esse poëtae, tragoedias atque comoedias conscribere: fuerunt iam, qui contenderent, ea, quae a veteribus modo de tragico, modo de comico dicerentur, non ad vnum, sed ad duos eiusdem nominis esse referenda. Sic v. c. Voss. in poëtt. Gr. statuit. qui, vt mihi videtur, perperam a Perizon. Aelian. 2, 21. reprehenditur. Nam Agatho noster Ael. 13, 4. simpliciter vocatur *ὁ τῆς τραγωδίας ποιητής*, et vbi de scriptis eius sermo est, commemorantur tantum tragoediae v. Ael. 14, 13. cf. Wolf. *Einl.* p. 44. 6.

ostendere conabor, *tempus, quo Apollodorus societati cuidam omnia narrasse fingitur, distinguendum esse ab eo, quo Plato libellum edidit, partim efficere studebo, quo tempore e mente Platonis narrasse cogitandus sit; denique, reiectis variis sententiis, declarare aggrediar, quo auctor tempore scripserit edideritque libellum.*

Quod ad primam quaestionis partem attinet, ea quidem iam historice illustrata est 4), sed hoc tamen non impedit, quo minus ea, quae huc pertinent, denuo examini subiiciantur. — Plato ipse, quum non historiam diligenter scribere, sed conuiuium laetum depingere vellet, annum conuiuii non indicauit, sed tantum monuit, sermones relatos in conuiuiis habitos esse, quod Agatho, Apollodoro et Glaucone adhuc pueris, post victoriam in certamine scenico reportatam, familiaribus tantum nonnullis dederit. 5) Quum nec aetas Apollodori et Glauconis illo, quo omnia narrata finguntur, tempore satis constet, nec etiam victoriae illius annus diserte indicetur, nemini quidem illae temporis notae sufficient, sed quisque tamen, qui de officio dialogorum scriptoris recte cogitauerit, facile concedet, Platonem, suauissimum scriptorem, plus dare non potuisse, nisi personam suam negligere et austeri chronologi partes agere vellet. Quum igitur Plato ipse nec voluerit, nec etiam potuerit tempus diligentius definire, opus est, vt alio ex fonte certiora hauriamus. Reuera etiam eiusmodi non destituimur fonte,

4) cf. Wolf. *Einl.* p. 47. s.

5) Vid. *Sympos.* 1, 6.

quum Athenaeus, ille saeculi III. post C. n. grammaticus, nos doceat, Agathonem victoriam reportauisse Lenaeis, archonte Euphemo, quum Plato puer adhuc esset quatuordecim annorum, hoc est, Olympiadis nonagesimae anno quarto 6). Anonymum quendam chronologum cum eo consentire, docuit Wolfius 7). Iam quaeri recte potest, an Athenaeus, aut omnia e coniectura constituerit, aut antiquiores auctores sequutus sit. Quanquam non patet, vnde grammaticus ille sua hauserit: tamen, quum plures chronologi Olympiadum indices composuerint 8), qui ad nostram aetatem non peruenerunt, sed ab Athenaeo fortasse collati sunt, non est, quod sumamus, omnia ab eo, praeeuntibus locis Symposii quibusdam 9), ex ingenio esse constituta, immo longe verisimilius est, eum alios, qui et archontem et Lenaea indicassent, sequutum esse. Quod autem addit de aetate ipsius Platonis, id non videtur apud alios legisse, sed ratiocinando reperisse. Re ita considerata, fides Athenaei stare videtur, sed quum etiam videmus, eum adeo numerum conuiuia-

6) Vid. Athenaeus Deipn. V. p. 217.

7) *Einleit.* p. 48.

8) Vid. Rambach. *Potter. Arch.* III., 22. s.

9) Nimirum Athenaeus videri potest Lenaea coniecisse e *Symp.* 39, 2., vbi noctes longiores commemorantur. Lenaea enim sub finem auctumni celebrata esse, notissimum est. v. *Potter Arch.* I, p. 901. et *Wolf. Einl.* p. 48. s. Quod ad archontem eponymon attinet, is poterat fortasse ab Athenaeo diuinari e *Sympos.* I, 6. Sed quum haec minus probabilia videantur, non ita statuerim.

rum significare 10); pronus est animus ad diffidentiam, et parum abest, quin omnia grammatici iudicia ficta, ipsumque studio omnia incerta certa reddendi putemus abreptum. Quis enim credet, memoriae esse proditum, quot conuiuiae adfuerint, quum fortasse ipse conuiuii auctor, vt liberalioribus saepius accidit, numerum illorum ignorauerit? Videntur quidem epulae illae, quum Plato eas sumserit describendas, celebratissimae fuisse, sed recte tamen dubitari potest, an politior Socraticorum aetas eiusmodi minutias curauerit, atque literis prodiderit, praesertim quum illi aetati recensio nominum, quorum Athenaeus mentionem non facit, magis conueniat, quam numeri significatio. Iam quanquam ex iis, quae modo dicta sunt, quisque videbit, Athenaeum, numero conuiuiarum indicato, sibi magis minuisse, quam auxisse fidem, tamen non statim exinde concludendum est, studio eius omnia definiendi nimio deberi quoque illas temporis notas. Faciamus enim, eum de omni Symposio Agathonis nihil certi apud antiquiores auctores legisse; ei vix in mentem venire potuit, omnes res, quae certius definiendae essent, e coniectura constituere: contra autem, si nonnulla certe reperisset, facilius voluntas excitari poterat, paucos illos nodos diuinando dissoluendi, qui, historia duce, expediri non possent. Iam si haec probabilitate se commenda- verint, omne iudicium de iis, quae ex Athenaeo allata sunt, ita erit constituendum, vt censeamus, eum archontis et festi

10) Deipn. I, 5. p. 4. dicit, duodetriginta conuiuio interfuisse conuiuas.

diei nomina ab antiquioribus accepisse, atque annum aetatis Platonis ex illa ipsa temporis nota effecisse, numerum vero conuiuiarum, historia non praeunte, ideo indicasse, ut certi quid de re dicere videretur, quam grauiorem putaret. 11) Sin autem quaeratur, an Athenaeus plane ex arbitrio hac in re egerit, atque sine omni caussa plures conuiuas, quam orationes eorum extant, commemorauerit; id quidem affirmari non potest, sed potius apparet, eum locos Symposii ipsius ante oculos habuisse, atque, quod illi indefinite et obscure significant, certo et clare definiuisse. 12) Quae hactenus de Athenaeo disputata sunt, ostendunt luculenter, me, quod ad tempus conuiuii attinet, grammatico illi assentiri, atque adeo statuere, omnes orationes Symposii habitas a Platone fingi eo anno, quo Lenaea, archonte Euphemo, celebrarentur.

Transgrediamur nunc ad alteram quaestionis partem, quae pertinet ad tempus, quo Apollodorum probabile est omnes orationes retulisse fingi. Nemo, quantum equidem scio, ea de re vnquam cogitauit, sed videntur vel putasse, promiscuum esse, quod narrationis tempus sumatur, vel etiam censuisse,

11) Huiusmodi enim minutias curare grauiioresque putare, Athenaei est, adeo, ut etiam ille conuiuiarum numerus ei recte tribui possit.

12) Loci, in quibus plures conuiuiae dicuntur fuisse, sunt V, 6., ubi Socrates, Eryximacho, Agathone, Pausania et Aristophane iam nominatis, addit verba: οὐδὲ ἄλλος οὐδεὶς τούτων, ἂν ἐγὼ ἔρω, quum tamen vnus Phaedrus tantum superesset; porro VII, 7. ext., ubi discrete de omissione orationum conuiuiarum nonnullorum dicitur.

•vnum idemque scriptionis et narrationis tempus sumi debere. Quanquam non compertum habeo, reuera fuisse, qui alterutram fouerent vel defenderent sententiam, tamen quum posse ita facile statui videam, paucis antea partim docebo, non promiscuum esse, quo tempore Apollodorus narrans cogitetur, partim ostendam, tempus scriptionis saepius diuersum esse debere a tempore narrationis. Concedo quidem facile, in libris innumeris quoduis tempus sumi posse, ita vt neque intelligentia et perspicuitas, neque grauitas et efficacia minuatur aut tollatur; sed contendo tamen etiam e contrario, hoc tantum fieri posse in eiusmodi libellis, quibus de rebus his vel illis hanc ob causam exponitur, vt aliorum mentes et animi simpliciter et sine respectu ad alios doceantur et moueantur. Quum autem animus est, alios docere et mouere eo consilio, vt respectum ad aequales habeant, vt eorum rationibus aliquo modo consulant, vt rectius de iis statuam, neque criminationibus vanis se abripi patiantur: tum non quoduis tempus erit aptum, sed semper ita legi debebit, vt consilium teneri possit. Iam vero apertum est, et alio tempore a me demonstratum, Symposium huius generis esse libellum, atque imprimis propterea compositum, vt appareret, quam vanae essent istae criminationes, pertinentes ad Socratis in adolescentes amorem 13). Si ita consilium Platonis spectatur, per se etiam intelligitur, necessarium fuisse, vt tempus legeretur, quo criminationes istae praecipue ferrentur et refutandae essent. Vt facile ea concedentur, quae modo

13) Vid. Prolus. mea de proposito Symposii Platonis.

monita sunt, ita etiam nemo dubitabit, ea largiri, quae de diuerso scriptionis et narrationis tempore mihi videntur. Nimirum variae causae cogitari possunt, cur quis tempus, quo scribat, non esse iubeat tempus narrationis. Interdum non lubet, vel etiam non in mentem venit, scribere quaedam iusto tempore; serius autem mutatur animus, mutatur mens; scribitur; praesertim si apparet, rem sero dictam non frustra dictam fore. Si scriptorem talem cogitauerimus eumque prudentem, sane etiam sperare possumus, eum, si cui personam narrantis imponat, ita versaturum esse, vt id narranti tribuat tempus, quod rebus narratis sit accommodatissimum. Praeterea res etiam ita cogitari potest, vt scriptor aliquis iusto quidem tempore libellum scribere aggrediatur, et persona vtatur omnia eodem tempore narrante, variis autem rebus, et fortasse ipso suo exornandi omnia atque perpoliendi studio, impediatur, quo minus librum absoluat. Sic quidem compositionis tempus non omnino diuersum erit a tempore narrationis, sed tamen extrema eius pars, qua finitur libellus et iuris publici fit. Haec autem temporis pars in primis cogitatur, quum quaeritur, quo quis tempore scripserit. Quae hactenus dixi, non tantum ideo monita sunt, vt pateret, narranti interdum necessario partes dari debere certo quodam tempore, atque adeo tempus eius a scriptoris tempore differre posse, sed etiam propterea, vt omnis mea sententia, quam in sequentibus de scriptionis tempore proponam, sic praepararetur. — Necessarium nunc est, vt prius ea constituentur, quae ab initio huius partis pollicitus sum. Apollodorum diu post conuiuium Agathonis sermones conuiuiarum referre, appa-

ret e colloquio Glauconis et Apollodori, quod legitur ab initio Symposii 14). Quum autem inde non intelligatur, quo anno omnia ab Apollodoro narrentur, ad alia confugiamus necesse est. Quaerenti mihi statim occurrit locus, vbi Apollodorus: ἀφ' οὗ δ' ἐγὼ, inquit, Σωκράτει συνδιατρίβω, — οὐδέπω τρία ἔτη ἐστὶ 15). Quum incognitum sit, quo anno Apollodorus Socratem adierit atque sequutus sit; haec quidem verba annum narrationis non clare indicant, sed tamen ex iis concludi potest, Socratem tunc temporis adhuc vixisse. Si enim Socrates illo tempore cicutam iam bibisset, Apollodorus non poterat formam praesentis temporis *συνδιατρίβω* adhibere. Quum porro eodem loco Apollodorus Glauconem ita alloquatur: „οὐκ οἶσθ', ὅτι πολλῶν ἐτῶν Ἀγάθων ἐνθάδε οὐκ ἐπιδεδήμεκεν;“ exinde colligi posse videtur, ipsum Agathonem, quamuis absentem, viuum tamen adhuc fuisse 16). Nam si Agatho iam mortuus fuisset, haud dubie verba illa non sine mortis mentione, obscura certe, posita essent 17). Hanc

14) Vid. Sympos. I, 4. ss.

15) Vid. Symp. I, 5.

16) Si Apollodorus, vt mox dicitur, Olymp. 94, 4. narrauit, et Agatho tunc temporis adhuc vixit, etiam sic apparet, Bailium, qui, Diction. v. Agathon, hunc poetam Olymp. 95, 3. mortuum esse dicit, errauisse. Bailii sententiam etiam ob alias rationes non probandam esse, docuit Wolf. *Einkl.* p. 45

17) Quod quidem eo probabilius est, quum Plato aliis in locis eiusmodi obscuras mortis significationes non negligat. Sic ea, quae

sententiam adiuuare etiam videtur opinio Glauconis, quam de *nuperrima* conuiuii celebratione habuisse fingitur. 18) Quum igitur Apollodorus, Socrate et Agathone adhuc uiuentibus, et tamen diu post conuiuium Agathonis ipsum narrans inducatur: probabile est, narrationis tempus non multo ante necem Socratis ponendum esse. Multum probabilitatis meae sententiae accedit eo, quod verisimile est, illo tempore multos amorem Socratis in adolescentes turpem atque illicitum sistere studuisse, adeo, vt nullo tempore commodius Socratis in primis atque Alcibiadis orationes narrari possent. Quae quidem rationes vi et grauitate sane non videntur carere, et nisi certum, tamen probabile videri possit, quartum fere Olympiadis nonagesimae quartae annum narrationis esse tempus. Hoc enim anno sumto, omnes allatae temporis notae conciliari possunt, atque etiam apparet caussa, cur Plato hunc in primis annum legerit. Nimirum vbi sumserimus dictum illum annum, Apollodorus primum recte dicere poterat, ante multos iam annos conuiuium Agathonis habitum esse, quum sedecim anni elapsi essent; deinde, quum Socrates Ol. 95, 1. cicutam demum biberit, idem Apollodorus de Socrate, tanquam uiuo, loqui poterat; denique, quum illo ante necem Socratis anno haud dubie multa in contumeliam huius philosophi de inhonesto in adolescentes amore dicerentur, tunc in primis necessaria videri poterat relatio ser-

I, 7. de Aristodemo dicuntur, ita sunt comparata, vt facile pateat, Aristodemum tempore narrationis iam mortuum fuisse.

18) V. Symp. I, 4.

monum, apologiam Socratis continentium. — Quum fortasse futuri sint, qui putent, ad stabiliendam sententiam necessarium esse, ut omnes ii, quorum sermones referuntur, illo anno adhuc vixerint: nunc quaerendum quoque erit, an hoc ita habeat; quum vero intellexerimus, non omnes conuiuias Ol. 94, 4. vixisse, docendum erit, veritati sententiae illius sic nihil detrahi. Si consulimus historiam, videmus quidem, plerosque adhuc vixisse, sed docemur etiam, idem non valere de Alcibiade, qui iam Olymp. 94, 1. in Phrygia periit. 19) Si quis putauerit, tempus narrantis propterea prius, atque adeo viuentis adhuc Alcibiade ponendum esse: legendus erit vel annus mortis Alcibiadis, si vitae eius tantum ratio habetur, vel Ol. 93, 1., quo anno Alcibiades Athenis fuit. 20) Quum illae e Symposio allatae temporis definitiones cum utroque anno conciliari possint, quumque consilium Platonis, castitatem Socratis in Alcibiadem amoris declarandi, ab illis annis non alienum esse videatur: 21) non quidem est, quod vtrumque annum omnis probabilitatis expertem dicamus, sed quum tamen multo probabilius sit, Socratem serius ob amorem illum vituperatum esse, neutrum annum probare possum, in primis quum mutatio sententiae meae supra prolatae

19) Vid. Corn. Nep. Alcib. c. 10. cf. Bergstraes. *Biograph. d. Corn. Nep. Anhang* ad Ol. 94, 1.

20) Vid. Corn. N. Alcib. 6. cf. Bergstraes. lib. I. ad Ol. 93, 1.

21) Quum enim utroque anno Alcibiades sibi iam odium ciuitatis contraxisset, non omnino improbabile est, scelera eius atque flagitia iam tum Socrati, magistro, imputata esse. Hoc aliquanto serius factum esse, certissimum est. v. Xen. Mem. I, 2, 12. ss.

ob mortem Alcibiadis praegressam non necessaria esse videatur. Primum enim in nullo Symposii loco Alcibiades diserte dicitur viuus, neque etiam hoc alicubi obscure significatur, adeo, vt in libello ipso nihil sit, quod nos cogat putare, Alcibiadem nondum vita excessisse. Deinde natura rei ipsa docet, per se non necessarium fuisse, vt vllus conuiuuarum, quorum orationes relatae leguntur, adhuc viueret, quum nihil obstaret, quo minus Apollodorus etiam mortuorum sententias de Amore vel Socrate proferret, si a consilio non essent alienae. Accedit, quod adeo necesse erat, vt Alcibiadis, vel mortui, oratio in Socratis laudem adiungeretur, quum etiam post mortem eius multi fuisse videantur, qui memoriam vitiorum ipsius studiose renouarent, et Socratem, tanquam auctorem eorum, criminarentur. Re ita considerata, impetrare a me non possum, vt illam meam sententiam mutem, immo etiam nunc persuasissimum mihi est, narrari omnia anno ante necem Socratis, seu Olymp. 94, 4.

Transeundum nunc est ad tertiam commentationis partem, atque adeo quaerendum, quo tempore Plato Symposium scripserit. Aliud enim tempus interdum narranti dari, aliud ad scribendum sumi, iam supra dictum est, et, vt etiam in nostro Symposio tempus illud ab hoc distinguatur, locus ille de Mantineensibus 22) postulare videtur. Antequam autem, quae mihi

22) Sympos. XVI, 11., ibi Aristophanes: *νυνὶ δὲ διὰ τὴν ἀδικίαν διωκίσθημεν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, καθάπερ Ἀρκάδες ὑπὸ τῶν Λακεδαιμονίων.* Alludit Aristophanes ad iniuriam, qua Mantineenses a Lacedaemoniis affecti sunt. Nimirum incolae Mantineae, vrbis Arcadiae in Peloponneso,

videantur, dicam, opus est, ut quaedam aliorum sententiae diligentius examinentur. Et primum quidem viro cuidam docto 23) videtur hic dialogus a Platone iam seniore conscriptus esse, eo quidem consilio, ut esset, quod in eodem genere Xenophontis Symposio opponeretur. Haec sententia nititur eo, quod iam olim inter eos, qui de vita moribusque Xenophontis Platonisque scripsere, multi fuerunt, qui putarent, ab iis non afuisse motus quosdam tacitos et occultos simultatis aemulationisque mutuae. 24) Nunc quidem meum non est, inuestigare, an veteres de mutuo illorum Socraticae amoenitatis luminum animo recte suspicati sint; quapropter tantum quaeram, an verisimile sit, Platonem senem scripsisse. Sententia haec iam propterea reiicienda est, quia nititur incertis saltem, 25) quanquam non plane spernendis, 26) veterum coniecturis de Xenophontis et

quum, quamvis Lacedaemoniorum socii, tamen Argiuis in bello Peloponnesiaco fauissent, a Lacedaemoniis iussi et coacti sunt, moenibus dirutis urbem relinquere, atque κατὰ νόμας seu vicatim habitare. v. praeter alios Xen. Hist. Gr. V, 2, 7. et ad eum locum Morus. Tempus, quo illa iniuria illata est, longe diuersum est a tempore conuiuii Agathonis, et narrationis. Mantineenses enim urbem suam reliquerunt Olymp. 98, 2. aut 3.

23) Biblioth. crit. Amstel. Vol. I. P. 1. p. 34.

24) Vid. Gell. N. A. XIV, 3.

25) Gell. l. l. dicit, eos, qui Xenophontem et Platonem inimicos putassent, argumenta eius rei *coniectatoria* quaedam ex eorum scriptis protulisse.

26) Coniecturae enim istae nituntur quibusdam rationibus, quae

Platonis similitate, et quia sine idonea ratione sumitur, nostrum Symposium illi Xenophonteo eiusdem nominis libello oppositum esse. 27) Deinde quum senes austeriora soleant tractare, lepida conuiuii descriptio in vniuersum senilis non videtur esse aetatis, adeo, vt potius cadat in iuuenilem. Porro in toto nostro libello

legi possunt apud Gell. l. l. et Athenaeum Deipn. XI. p. 304. E. Wolf. *Einkl.* p. 59. illi de similitate Xen. et Plat. coniecturae parum fauet, et Morgenstern. *Entwurf von Platons Leb.* p. 154. not. 27. putat, verisimile esse, Xenophontem et Platonem se inuicem non curasse, non autem, eos inimicos fuisse. Haec sententia verissima videtur eique plane assentior, ita tamen, vt non tam diuersitatem mentis facultatum, studiorum, ingeniorum, consiliorum, et occupationum vtriusque, quam potius aetatis diuersitatem, cuius maxima est vis, causam putem frigidioris vtriusque animi. Quum enim Plato eo tempore, quo Xenophon Athenis commoratus est, iuuenis adhuc esset, et nondum ingenium et studia scriptis prodidisse videatur, illa ingeniorum studiorumque diuersitas ne luculenter quidem apparere poterat; aetatis vero diuersitas haud dubie effecit, vt Xenophon cum Platone multo, hoc est, viginti vno annis, iuniore non saepius versaretur, neque familiaris eius esset.

27) Scilicet maleuolo animo, atque eo consilio, vt Xenophontis Symposium minoris fieret. Contra autem, si quis dixerit, Platonem certe Symposio Xenophontis motum esse, vt ipse quoque simili scripto ingenium proderet suum, plane assentior. Nam partim probabile est, Xenophontem prius scripsisse, partim etiam apparet, Platonem ante oculos habuisse Xenophontis libellum. Conf. ea, quae in Plat. et Xenoph. Symposiis de Amore leguntur, atque in iis Pausaniae tribuuntur. cf. Sydenham. ad nostrum Sympos. IX, 8, 8.

nihil est, quod doceat, eum a Platone iam seniore esse scriptum contra autem omnis eius natura et suauitas clarissime ostendit, eum florenti aetati esse tribuendum. Vt enim prior et maior libelli pars in laudibus Amoris versatur, qui, vt videtur, etiam tunc temporis a senibus non adeo curabatur, ita etiam posterior et breuior, quae laudes Socratis ab Alcibiade celebratas continet, ita est comparata, vt non facile inueniri possint, quae Platonis senectutem prodant. Quae de vniuerso libro et maioribus eius partibus dicta sunt, ea etiam de singulis Amoris encomiis valere reperiuntur. In aliis enim faltem nihil est, vnde senilem auctoris aetatem colligere possimus, 28) in aliis reperiuntur etiam aperta iuuenilis ingenii vestigia. Huc pertinent in primis ea, quae ab Aristophane, comico illo, proferuntur. 29) Si enim mythus, quem poëta narrat, senilem auctoris prodit aetatem, nescio, quid iuuenili aut virili tribui possit. Nam totus ille mythus, eiusque exornatio, vt Aristophanis optime exprimit ingenium, ita etiam luculentissime docet, Platonem fuisse adhuc florente aetate. Porro etiam ioci illi, qui Socrati et Agathonis aliisque conuiujs tribuuntur 30), satis ostendunt, auctorem non scripsisse senem. Aequè clarum hoc est ex omni ratione, qua Alcibiades societati reliquae se adiunxisse, atque verba fecisse dicitur. Vt enim ebrietas, quae ei tribuitur,

28) E. g. in Phaedri, Pausaniae, Eryximachi, et Socratis orationibus.

29) Cap. XIV, 3. ss. vsque ad finem cap. XVI.

30) Vid. Cap. III, 5. ss. XI, 6. ss. etc.

potius hilarem auctoris iuuentutem, quam tristem eiusdem senectutem declarat, ita etiam in primis ea, quae de amore Socratis insunt, satis intelliguntur aliena esse a senum morositate. Itaque argumentum libelli ipsum non fauere reperitur illi sententiae, adeo vt, qui contrarium statuatur, rectius statuere videatur. Praeter illas rationes aliae etiam sunt, quae impediant, quo minus sententiam illam assensione comprobem. Huc pertinet ipsa natura orationis, qua omnia exponuntur. Haec enim laeto argumento est accommodatissima; ioci et orationes vniuersae suauiter et perfacile fluunt, neque dictione ingrata et languida vi sua destituuntur. Insuper si auctorem natu grandem cogitauerimus, vehementer etiam dubitari possit, an ingenia coniuuarum, quae, quantum de iis constat, optime exhibita sunt 31), tam apte et vere ab eo exprimi potuerint, quum eorum plerique et fortasse omnes, Platone sene, iamdudum mortui essent. Sed quum tamen scripta nonnullorum et tenax Platonis memoria illam difficultatem tollere vel certe minuere potuerint, non adeo repugno, si quis hoc argumentum vi et grauitate parum valere dixerit. Grauius videtur esse, quod, probata illa sententia, origo libelli nimis remoueretur a tempore coniuuii Agathonis. Non enim credibile est, Platoni

31) Quae Socrates, Alcibiades, Aristophanes, Eryximachus, Agatho, Pausanias etiam, [vid. Sydenham. ad IX. 8. not. 8. ed. Wolf.] proferunt, quam maxime conueniunt eorum ingeniis aliunde notis. De vno Phaedro nihil certi habemus, vnde cognoscatur eius ingenium.

in mentem venire potuisse, conuiuii sermones fingere 32), quod sexaginta vel septuaginta annis ante habitum esset 33). Nam quanquam scio, Platonem in dialogis scribendis magnam usum esse libertate, tamen conuiuium septuaginta annis post exhibere, ita est ridiculum, ut nihil magis. Accedit, quod lector, comparata scripti aetate cum conuiuii tempore, statim intellecturus esset, non veros, sed fictos exhiberi posse sermones; quod quidem haud dubie consilio auctoris plane contrarium habendum est, qui, quanquam veros non traderet sermones, tamen eos ita accipi vellet. Denique libello ad senectutem auctoris relato, non apparet, quorsum ea omnia dicta sint, quae Alcibiades de amore Socratis euulgasse fingitur, et quae ob varias rationes, alio tempore et loco allatas, grauissima esse, auctoremque ad totum libellum scribendum mouisse videntur. Quum enim, Platone sene, improbi isti de turpi Socratis amore rumo-

32) Nostro enim tempore nemo facile erit, qui credat, sermones exhibitos reuera ita habitos esse in conuiuio Agathonis. Ne hoc quidem crediderim, sermones, qui variis temporibus ab hoc vel illo habiti essent, a Platone exornatos esse, immo Plato suum ingenium sequutus esse videtur, ita tamen, ut orationes ingenii loquentium accommodaret. Ea adeo, quae a Socrate accepisset, aut e Xenoph. Symposio hausisset, videntur ab eo libere reficta et immutata esse. Commodissimum hic locum habent verba Ciceronis ad Varronem scribentis: „Puto fore, ut, quum legeris, mirere, nos id locutos esse inter nos, quod nunquam locuti sumus: sed nosti morem dialogorum.“ v. Cic. ad diu. IX, 8.

33) Vixit enim Plato ab Ol. 87, 4. vsque ad Ol. 108.

res conticuisse vel certe consenuisse videantur, aut minime, aut parum necessarium erat, vt Alcibiades inebriatus amorem illius vere describeret, magistrumque defenderet. His igitur rationibus effectum esse videtur, Symposium Platonis non ad senectutem eius referri posse.

Recensebo nunc alias tres de eadem re sententias, quae omnes loco illo orationis Aristophanis 34) nituntur. Et priores quidem duae obiter a S. V. Wolfio ita significantur, vt alteram probet, alteram autem talem agnoscat, quae priori opponi possit 35). Vtraque hac sententia ponderata, tertiam ipse adiciam rationibusque firmare studebo. Ex sententia, quae Wolfio probabilis videtur, Plato scripsit Symposium paulo post iniuriam istam Arcadibus, hoc est, Mantineensibus, a Lacedaemoniis illatam, i. e. post Olymp. 98, 2. aut 3. At primum, si, vniuersum librum illo tempore conscriptum esse, e loco orationis

34) Sympos. XVI, 11. cf. ea, quae not. 22. dicta sunt.

35) Einleit. p. 56. „Im Vorbeigehen bemerke ich nur, dass eben diese Stelle [de Mantineensibus XVI, 11.] uns vielleicht einen Wink wegen der Zeit giebt, wann ungefähr die gegenwärtige Schrift aufgesetzt worden. Bei einer ganz geringen Anzahl Platonischer Gespräche scheint mir eine Bestimmung darüber möglich. Hier aber glaube ich aus der Manier, wie des Vorfalls mit den Mantineern gedacht wird, schliessen zu dürfen, dass sie damals, als Platon dieses schrieb, noch nicht gar alt, sondern bei seinen Lesern im frischen Andenken war. Demungeachtet kann Jemand unter andern hiegegen einwenden, dass der Verfasser sein Buch immer viel früher geschrieben haben kann, und dass bei einer zweiten oder dritten Durchsicht diese Stelle vielleicht erst eingeschaltet sey.“

Aristophanis laudato concluderis, plus exinde colligi videtur, quam reuera inest. Fieri enim potuit, vt illa Aristophanis de Mantineensibus verba, toto libello prius iam scripto, adderentur, vel etiam vt prior libri pars iam composita esset, et posterior vna cum illis verbis post illud Lacedaemoniorum facinus adiungeretur. Vtuncque etiam de illo loco statuatur, hoc saltem ex ipso Symposio intelligi videtur, tempore illo non omnem librum compositum esse. Apollodorus enim: „Ex quo, inquit, cum Socrate versor, et omnia eius dicta et facta quotidie cognoscere studeo, nondum tres anni sunt.“ Haec aperte tempus, quo Socrates adhuc vixit, denotant; quum autem Mantineenses iniuriam acciperent, tredecim vel quatuordecim post Socratis mortem effluerant anni. Iam si quis dixerit, Platoni licuisse, id tempus narrationis fingere, quod Apollodori verbis inest, quanquam eo tempore non scripserit: equidem, vt facile e superioribus 37) intelligitur, non prorsus repugno, sed tamen contendo, tum non quamuis tempus narrationis definiendi rationem aptam putari posse, adeo, vt interdum ipsa temporis notatio declarare possit, an scriptor reuera aliud narranti tribuerit, aliud sibi sumserit tempus. Nimirum quum verbis Apollodori allatis Socrates *uiuus* sistatur, et idem tamen tempore cladis Mantineensium iam diu *mortuus* esset: fieri non potest, quin haec repugnantia lectorem, Platonis maxime aetate, male habuerit, et nostro etiam tempore vehementer offendat. Duri-

36) Symp. I, 5.

37) Vid. p. 10.

ties illa, ex sensu quidem meo, ita poterat minui, vt idem narrationis tempus alio modo, et *vita* Socratis non significata, indicaretur. Sentio quidem sic duritici partem, temporis scilicet discrepantiam, eandem remanere, sed durities tamen ex parte tollitur tum, quum Socrates neque in vno loco diserte viuus dicitur, neque in altero mortuus iamdudum cogitari debet. Quae quum ita sint, ipse Platonis sensus obstitisse videtur, quo minus in libello, *post eadem Mantineensium scribi demum coepto*, verba illa Socratis vitam inuentia collocaret. Praeterea etiam calamitas Mantineensium nimis remota erat a tempore conuiuii Agathonis, adeo, vt vel propterea non probabile sit, auctorem demum post illam calamitatem consilium cepisse, conuiuium tragici illius describendi, vel, quod idem est, fingendi, sermones enarratos in conuiuiio illo habitos esse. Denique non satis apparet, quid auctorem impulerit, vt illo demum tempore crimen illiciti amoris a Socrate depellere conaretur, quod tum fortasse non adeo necesse esset. Has igitur ob causas auctor mihi non videtur omnem libellum post Ol. 98, 2. aut 3. scripsisse.

Ex altera sententia Plato libellum prius composuit, et in altera vel tertia recensione locum de Mantineensibus addidit. Si sententia ita exprimitur, non satis est definita, sed potest variis modis intelligi, qui plane diuersum gignere possunt iudicium. Nimirum singulae recensiones vel ita cogitari possunt, vt auctor libellum recensitum post quamuis recensionem publico vsui permitteret, vel ita, vt eum post plures recognitiones semel tantum in lucem emitteret. Prima de recensionibus libelli variis statuendi ratio ita est comparata, vt nullo modo ferri possit. In

vniuersum quam maxime cauendum est, ne nimis faciles simus in ponendis pluribus eiusmodi recensionibus, in primis tum, quum scriptores aetati auctoris propiores de iis tacuerunt. Non quidem puto, e silentio antiquiorum grammaticorum aliorumque scriptorum recte semper concludi posse, eiusmodi recensiones non esse ponendas, sed tamen peritissimum quemque assentientem spero me habiturum esse, si dixerò, criticum tum non sine grauissimis caussis procliuem esse debere ad recensiones editionesque, ab auctore profectas, plures statuendas. Non quaeuis difficultas critica eius est generis, vt statim ideo diuersae recensiones sumendae sint; immo semper est cogitandum, scriptorem eum, quem tractamus, fortasse ab hoc vel illo esse interpolatum, quum haec non raro codicum antiquorum cuiusuis generis fuerit sors. Quisque, etiam non admonitus, facile videbit, me nunc in difficultatibus criticis non ponere eas varias lectiones, quae vel grammaticorum interpretandi emendandique studio, vel librariorum incuriae et stultitiae debentur; de iis enim in praesenti sermo plane non esse potest; sed difficultates criticas eas dico varias lectiones, quarum origo solitis criticae artis praesidiis adhibitis, non reperiri potest. In talibus lectionibus videndum primum erit, an vel singula verba, vel tota incisa et membra eiusmodi difficultatem pariant; deinde an in vno eodemque libello saepius eiusmodi difficiles lectiones recurrant. Si singula verba in vno eodemque loco varie leguntur, si in codicibus libelli cuiusdam diuersis verba singula ita variant, vt vtrumuis vniuerso loci sensui aptum sit, et neutrum tamen interpretamentum alterius sit habendum, tum qui-

dem videri potest iterata recensio ab auctore profecta esse, sed res tamen non adeo certa est, quum lectio talis non quidem solito modo grammatico, tanquam glossema, tribui possit, sed tamen alio modo ab eo originem trahere potuerit. Nimirum fieri potuit, vt grammaticus, qui codicem perlegeret, vel librario dictaret, verbum, quod hoc vel illo casu deletum esset, in fonte suo reperiret, atque, ne lacuna esset, ex omni loci sensu aliud coniceret, quod quidem toti reliquae orationi aptum, sed tamen non verum esset. Propterea igitur singulis verbis nos non statim moueri patiemur, vt repetitam libelli alicuius recensionem sumamus. Quum autem tota incisa et membra in diuersis codicibus adeo variant, vt diuersitas neque grammatico interpretanti, neque librario erranti adscribi possit, et tamen quaeuis lectio a consilio scriptoris non abhorreat: tum firmiori iudicium de variis recensionibus nititur fundamento. Re enim ita comparata, loci, qui hoc vel illo modo leguntur, non facile grammatici coniecturae, vel librarii peccato adscribi possunt, sed reuera repetendi esse videntur a repetita recensione. Eiusmodi hypothesis eo verior habenda erit, quo plures eiusmodi loci in vno eodemque libro inueniuntur. Si enim quis denuo recenset libellum; non in vnus vel paucorum locorum mutatione acquiescere, sed pluribus limam adhibere solet. Quamquam et alia criticum mouere possunt, vt plures recensiones et editiones, vel tacentibus antiquioribus grammaticis, sumat, tamen ea, quae dixi, grauissima esse videntur, adeo, vt in iis nunc acquiescam. Iam comparatis iis, quae monita sunt, cum Symposio Platonis, neque auctoritas antiquiorum scriptorum,

qui omnes de repetita Symposii recensione tacent, neque difficultates criticae, quales enumeravi, quemquam mouere possunt, vt recensionem libelli nostri duplicem vel triplicem statuatur. Nam praeter locum de Mantineensibus, nullus, quantum scio, ita est comparatus, vt ad plures recensiones nos refugere oporteat. Iam hoc, quod vnus tantum eiusmodi locus occurrit, docere quemque potest, nimis praecipitatum esse opinionem de recensionum diuersitate. Accedit, quod omnes codices illum locum exhibent, quorum consensus satis declarat, vnam tantum editionem a Platone esse adornatam. Denique, ipsa natura illius loci considerata, intelligitur, Platoni vix in mentem venire potuisse, libellum iam in lucem emissum ita augere, vt temporis discrepantia accederet. — Quae modo dicta sunt, non aequae valent, iterata recognitione sic cogitata, vt *editio* non simul sumatur. Contra hanc sententiam nihil monere possum, quum ipsa mea sententia, quam statim dicam, non adeo ab illa sit aliena, quamvis aliquo modo ab ea differat.

Ego nimirum arbitror, *nostrum Symposium a Platone coeptum esse scribi non ita multo ante Socratis mortem et quidem eo tempore, quo Apollodorus narrans fingi supra videbatur; tum Platonem non puto, vno Socrate, libellum absoluisse, sed plures annos ei expoliendo impendisse, eumque adeo demum post Mantineensium calamitatem iuris publici fecisse.* Commendatur haec sententia, partim loco illo iam bis laudato, vbi Apollodorus: „ex quo, inquit, Socrate vtor, nondum tres anni sunt,“ partim etiam eo, quod anachronismus, qui loco de Mantineensibus inest, sic magis defendi potest. Quanquam enim Plato illud tempus, quod Apol-

lodori verbis significatur, pluribus etiam annis post fingere potuit, tamen nunc quidem, quum Plato, multo serius scribens, suo sensui vix ita posset repugnare, vt notam illam temporis verbis exprimeret, vitam Socratis inuentibus atque eo ipso ingratam anachronismi illius vim augentibus, probabilius est, libellum eo ipso tempore, quo Apollodorus narrasse dicitur, scribi esse coeptum. Quum fortasse futuri sint, qui dicant, sic eandem esse rem, et anachronismum, re ita cogitata, aequae durum et ingratum manere, adeo, vt nihil lucri hoc modo inueniatur: res illa vberius est illustranda. Quod attinet ad lectorem, qui nil nisi discrepantiam illorum Apollodori Aristophanisque verborum spectat, facile concedo, omnem rem manere aequae ingratam; sed si quis quaesierit, quomodo Plato a se impetrare potuerit, vt chronologicum peccatum committeret, sane longe alia est res. Quo enim improbabilius est, Platonem suo sensui ita aduersari potuisse, vt post Mantineensium cladem continuo tempore et Apollodori et Aristophanis poneret verba sibi inuicem repugnantia, eo facilius intelligitur, quomodo fieri potuerit, vt Plato vtrumque locum libello insereret, si sumserimus, Apollodori verba, viuo adhuc Socrate, scripta, Aristophanis autem de Mantineensibus dictum multis annis post esse additum. Nam si etiam non putauerimus, Platonem serius vel illorum Apollodori verborum plane oblitum esse, vel ad ea minus attendisse, tamen quum in vniuersum quisque difficulter adducatur, vt, quae iam scripta sunt, debeat, quumque nemo non diligenter circumspicere soleat, quae loci immutationem superuacaneam reddere possint; etiam Plato in omni re ita versari, et caussis

quibusdam moueri poterat, vt Apollodori verba neque mutaret, neque deleret. Quod quidem quam maxime ad probabilitatem dirigit, quum caussae, quas habuerit, non adeo remotae sint, quin facile possint detegi. Primum enim, historia extremae Socratis vitae spectata, tempus illud, quod Apollodorus verbis supra laudatis significat, auctoris consilio, Socratem contra inimicorum criminationes defendendi, accommodatissimum erat; deinde Plato ipso epularum Agathonis tempore moueri poterat, vt illud tempus non mutaret, ne nimis remoueretur a vero conuiuii tempore, atque lectores sic offenderentur; denique quum locus de Mantineensium calamitate, vbi lector discrepantiam temporis proprie sentire potest, ita sit comparatus, vt aptissimum orationis Aristophanis iocosae reperiatur additamentum 38); etiam hoc impedire poterat, quo minus auctor mutationem susciperet, quia sperandum erat, fore, vt tempus commemoratae Mantineensium calamitatis non adeo vrgeretur, atque iocanti facile ignosceretur. Ea, quibus ostendere conatus sum, Platonem, caussis non adeo contemnendis permotum, in temporis notis fuisse negligentem, simul etiam habent, quo commendetur mea sententia de tempore, quo auctor primum consilium scribendi Symposii ceperit. Nominatim hoc valet de iis, quae ad defendendum Platonem ex ipso conuiuii Agathonis tem-

38) Quomodo locus de *calamitate* Mant. dici possit aptum *iocosae* orationis additamentum, nunc quidem copiosius docere nolo, quum ipsa orationis Aristophanis lectio veritatem eius, quod dixi, facillime declaret.

pore repetebantur. Nimirum vt Plato, si multo serius conuiuium Agathonis sumsisset describendum, contra ingenium suum, ridiculum fecisset, ita sub finem vitae Socratis, sine offensione, descriptionem illius fuscipere poterat, quum eo tempore tempus conuiuii ipsum non adeo esset remotum. — Porro quum tempus, quo Platonem scribendi consilium cepisse dixi, in iuuenilem auctoris cadat aetatem, sententia mea iuuatur omni libelli natura. Obiter enim tantum legenti vbique vestigia dictae auctoris aetatis se offerunt luculentissima, ita, vt, si vel nihil hanc in rem in superioribus attulisset 39), etiam sine admonitione a quouis lectore facile inueniri possint. Quum igitur exemplis, iuuenilis aetatis signis, nunc plane non opus sit, statim ad eam sententiae partem transibo, qua contendi, Platonem libellum viuo Socrate non absoluisse, sed plures annos ei expoliendo impendisse, ita, vt demum post Mantineensium calamitatem scribendi finem faceret. Rationes meae sunt hae. Nimirum quo minus auctor, viuo Socrate, libello finem imponeret, primum ipsa temporis, quod ipsi vsque ad mortem Socratis fuit, breuitate impeditus esse videtur. Deinde quum Plato omnino non is videatur fuisse, qui scribendi leuitate honoris periculum non dubitaret subire, nunc, quum, hoc libello in lucem emisso, primitiae ingenii fortasse emitterentur, eo magis credibile est, eum opusculum suum non nimis accelerasse. Accedit, quod auctor noster Symposio Xenophontis, prius, vt probabile est, edito, magis etiam incitatus esse videtur, vt

39) Vid. supra p. 17. f.

curam in componendo suo Symposio poneret diligentissimam. Insuper quum omnes scripti partes mirum in modum elaboratae, cohaerentes, et omni consilio auctoris conuenientes reperiuntur, quisque etiam suo ipsius sensu concedere cogitur, inesse libello ipsi vestigia diligentiae plurium annorum. Denique quum loco de Mantineensibus non facile ferior editio augeri potuerit, ille ipse locus docet, omnem libellum demum post Mantineensium calamitatem finitum atque editum esse.

Restat nunc, vt officio satisfaciam, quod et muneris impunitur ratione, et animo meo iucundissimum est. Vos nimirum, Patroni Fautoresque beneuolentissimi, nunc omni, qua par est, humanitate rogo, vt, quod semper declarauistis Lycei nostri studium, denuo ita ostendatis, vt et lubentes, et frequentes intersitis examini, quod mox instituendum est. Equidem certissime, nomine, et collegarum, et meo affirmo, beneuolentiam Vestram gratissimo agnitum iri animo. — Quod ad examen ipsum attinet, non incommodo loco hic de omni eius ratione moneri possit, sed quum vberiore eius descriptione limites libelli nimis proferantur, tantum monendum videtur de eo, quod in primis a recepta consuetudine recedit. Nimirum *Friedenreichius*, adolescens, cum omnis honestatis virtutisque studio, tum ingenii acumine literarumque amore praecipue insignis, constituit commentationem, quam de L. Junio Bruto, supplicium in filios Titum Tiberiumque constituyente, ipse conscripsit, publice in Auditorio classico defendere 40). Contra eum cona-

40) Quum Bruti agendi ratio variis modis considerari, et vel repre-

bitur rationes quasdam proferre *Klettius*, qui nobis aequè carus est, non tantum ob morum probitatem et innocentiam, sed etiam ob ingenii elegantiam et assiduitatem. Hos igitur adolescentes, quos omnibus probitatis literarumque amantibus maximopere commendamus, beneuole audire velitis, ut illi vel sic magis magisque ad omnis generis virtutem incitentur.

Scrpsi Gubenae, mense Octobri, cDCCCXCVIII.

hendi vel laudari possit: quisque videt, eam continere commodissimam disputandi materiam. Auctor commentationis contra Dionysium Hal. et Plutarchum docere conabitur, probabile esse, Brutum patrum sensum non exuisse, sed tantum, temporis ratione habita, eum celasse.
